

Hinc factum est, ut ipsum nouae societatis latinae auctorem, studiorumque suorum moderatorem et praesidem esse complures vellent. Nescio quidem, quo anno id factum sit, prius tamen quam post impetratos a. XXXXIII. summos in philosophia honores fieri non potuit, quoniam id sine auctoritate publica nemini licet. Quod vero istam societatem instituerit, e carmine apparet, quo abutum eius ad capeffendum munus Conrectoris in Ducali Guelpherbytana exeunte a. XXXXIX. gratulantur eius societatis membra, quorum in numero sunt LAVR. IO. DAN. SVCCOV, et IO. CHRIST. BASCHE, vterque iam tunc temporis Philosophiae Doctores, quorum alter Mathesin et Physicam magna cum laude adhuc ibidem profitetur, alter vero liberalium artium magister Praeses eius societatis post Heusingerum nostrum designatus est.

Duodecim igitur annos, et quod excurrit, in Academia Ienensi transegit; sex priores discendis, reliquos sex docendis artibus liberalibus tribuit. In discendis artibus hanc sibi praescripsit legem, ut omnes, quae communi quodam vinculo continentur, et cohaerent inter se, non pertractaret quidem penitus, ac pernosceret, sed degustaret tamen, et quidquid ad rem suam pertineret, maiori studio coleret. Etenim cum philologo quotidie fere explicandi sint libri, a viris vario ac plane diuerso disciplinarum genere excultis, hique iterum locos ex aliis scriptoribus depromptos habeant: nescio, an quisquam istarum rerum rudis boni interpretis et critici personam agere possit. Itaque scholis theologorum et philosophorum, apud quos nomen professus est, interfuit quidem maxime, at vero reliquas non plane praetergressus est; et ex consuetudine et familiaritate cum Iuris peritis et medicis multa percepit, quae

B studiis